

sufficere debere alendis omnibus personis quarum cura singulis operariis jure naturae imponitur. Cfr. De Gryse, De contractu conduct. p. 45 seqq.; Antoine, op. cit. p. 608 seqq.

3^o Justitia legalis seu socialis (n. 462) postulat ut salarium familiare operariis tribuatur. (Antoine, op. cit. p. 611) Etenim commune societatis humanae bonum omnino postulat ut operarii vulgo habeant unde matrimonium inire et prolem susceptam, saltem in ordinariis adjunctis, alere possint. Jamvero operarii communiter nullum aliud medium haec praestandi habent quam salarium. Neque a sola caritate ea subsidia pendere possunt. Etenim ordo socialis penitus perturbaretur, si maxima hominum pars et ea quidem cujus labore potissimum comparantur quaecumque ad vitam congruenter ducendam inserviunt, jugiter in necessitate versaretur et solis eleemosynis paucorum ditiorum alenda esset.

Neque expectandum est singulis donec per legem civilem hujusmodi salarium determinetur. Necessitas enim ad commune societatis bonum satis manifesta est ut unumquemque urgeat sine ampliori determinatione, modo tale salarium dare per adjuncta liceat. Quodsi plures heri hoc officium neglegunt, non propterea efficacia sua privabitur quod probi praestiterint, praesertim cum salarium justum taxare primario pertineat ad privatim contrahentes, ad legislatorem autem civilem secundario tantum, ubi privati a norma justitiae pertinaciter aberrare solent. In hunc sensum Leo XIII (Encycl. cit.) de justo salario definiendo: " Ne magistratus, ait, inferat sese importunius, praesertim cum adjuncta tam varia sint rerum, temporum, locorum, satius erit eas res judicio reservare collegiorum, de quibus infra dicturi sumus, aut aliam inire viam qua rationes mercenariorum, uti par est, salvae sint, accedente, si res postulaverit, tutela praesidioque reipublicae. „ Collegia autem intellegit R. P. " societates, sive totas ex opificibus conflatas, sive ex utroque ordine mixtas. „

Itaque in omni societate christianaee justitiae legibus serviente, neque inopia universali laborante, spontanea conventionem tum herorum, tum operariorum, quos societatis initaee robur ab injusta vi tuebitur, in usum inducetur salarium familiare, sensu supra explicato. Quod ubi factum fuerit, salarium hujusmodi etiam ex justitia commutativa dandum erit, sicut in contractu emptionis venditionis pretium vulgare stricta justitia debetur. (n. 633, III) (1)

(1) Profecto haec erat mens antiquorum Theologorum. Nam, ex una parte, justum salarium operariorum, famulorum et similium constanter dicunt illud esse quod attingat saltem infimum gradum mercedis quae in eo loco talibus personis pro talibus ministeriis tribui soleat. (Lessius, de Just. et J. l. 2. c. 24. n. 23; Lugo, de Just. et J. disp. 29. n. 62 etc.) Ex altera parte, clare innuunt

Atque ita apte conciliantur duo loci Encycl. de cond. opif. qui prima fronte diversam mensuram salarii indicare videntur. Scilicet, ubi Rom. Pont. determinat quodnam sit justum stipendium operarii, spectato labore ipsius personali et necessario, de solo operario alendo loquitur. Sed brevi post innuit congruam mercedem esse debere " satis amplam ut ea se uxoremque et liberos tueri commode queat. „

648. V. Quidam tamen casus recensentur in quibus salarium minus dare liceat quam quod, juxta normas praedictas, tribuendum foret :

1^o Si conductor solum ex misericordia operarium conduit, neque illius opera utilitatem percipit quae infimum justii salarii limitem attingat. (Lessius, de Just. et J. l. 2. p. 24. n. 25)

2^o Si communiter in aliqua regione labor quidam seu industria tam exiguos fructus producit ut herus ipse nequeat simul solvere operariis consuetum salarium et seipsum juxta condicionem suam alere, deductis expensis quae necessario faciendae sunt ut laborem suum prosequi possit. A fortiori idem dicendum si herus cum detrimento suo industriam susceptam prosequeretur, tempora meliora exspectans. Ubi vero alieni hero singulari res minus prospere cedunt, haec ratio esse nequit ob quam stipendium operariorum infra infimum pretium consuetum deprimatur. Nam valor laboris illorum pendet a communi aestimatione, non ab unius alteriusve heri prospera vel adversa fortuna. Pariter injustum foret aliquam industriam incipere quae praevideretur non posse ad felicem exitum duci nisi minutis infra regionis usum salariis operariorum, puta ob nimium auctarium pro capitali solvendum, excepto casu quo, ommissa tali industria, iidem operarii in condicione etiam pejore, puta absque ullo labore, viverent.

mentem suam esse ut ii qui nullos alios proventus habeant, sed *toti* in aliquem laborem incumbant, in hoc reperiant unde non tantum se ipsos, sed et familiam suam alant : quare supponunt illo pretio usuali minimo conferri quidquid ad hunc finem necessarium est. Sic Lugo (l. c.) : " Tertio, inquit, (adverto) neque etiam esse injustam semper mercedem, quae non sufficit ad victum et vestitum famuli, et multo minus qua non possit famulus se suamque uxorem et liberos alere. Contingit enim obsequium non esse tanta mercede dignum et multos ea mercede contentos esse, quia possunt simul rebus aliis attendere quibus id quod ad victum et vestitum deficit, supplere et providere sibi possint. „ Similia prorsus habet Molina (de Just. et J. disp. 506. n. 3), quem citat et sequitur Reiffenstuel (Jus Can. in Deer. l. 3. t. 18. n. 110). Ex his ratiociniis concludi potest eos DD. tamquam justum salarium operarii, qui toto tempore libero in utilitatem alterius laborat, illud reputare quod illi ejusque familiae alendae sufficiat. Atque idem salarium usuale esse reputabant : siquidem hoc a justo non differre opinabantur. Id autem ex justitia commutativa deberi tenebant, ob hanc solam rationem quod hoc erat pretium justum infimum, etiamsi de nullo pretio cum operario conventum esset. (Lessius, l. c.)

3^o Si operarius nondum viribus plene evolutus vel infra mediocritatem ad laborandum aptus est : nam, ubi de justo stipendio agitur, supponitur semper operarius in condicionibus ordinariis virium et aptitudinis, quae ex mente sana in corpore sano oriri solent. Quemadmodum enim pauper laborandi plane incapax a sola caritate victum suum exspectabit, ita qui capax erit dimidiati tantum laboris, partim etiam a caritate pendere debet.

Qua proportione in his similibusque adjunctis stipendium operariorum minui possit, definiendum est ex natura causae ob quam illud minuatur. Raro tamen et graves tantum ob causas, licebit minus dare quam quod ad ipsum operarium alendum sufficiat.

649. VI. Ex his regulis patet generatim satisfacturum esse justitiae herum qui solvit salarium quod libenter operarii in aliqua regione pro tali labore accipiunt. Hujusmodi salario soluto, numquam erit obligatio restituendi eo quod non esset datum salarium familiare : hoc enim, in hypothese praemissa, neque ob naturam laboris, neque ob vulgarem ejusdem valorem, e stricta justitia debebatur.

Attamen fieri potest ut salarium usuali majus tribuendum foret, sive ex justitia commutativa, quia, sine causa excusante, salaria usitata imparia essent alendo operario frugi et bene morato, sive ex justitia sociali, quia eadem imparia essent alendae talis operarii familiae in ordinariis adjunctis. Sed, ut hujusmodi obligatio singulos urgeat, manifeste necessarium est ut industria quam exercent ea emolumenta praebeat quae sufficiant ad moderatum lucrum hero tribuendum simulque augenda stipendia. Hoc autem saepe in potestate singulorum non erit, quia, propter intensam aliorum concurrentiam, pretium laboris notabiliter augere non possunt quin simul mercis pretium augeant ac propterea a clientibus suis deserantur. Quin etiam, ob concurrentiam variarum nationum inter se, tale augmentum inducere saepe non nisi per industrialium gentium conventionem *internationalem* efficaciter procurari posset. Insuper, si in aliqua regione *passim* salaria non essent familiaria, aegre determinaretur quatenus salaria ibidem usitata augenda forent ut justum limitem attingerent. Hunc limitem facile assignat ipsa praxis, ubi supponitur *passim* tribui salaria alendae operarii familiae sufficientia.

Saepe injustitia committitur dum tribuitur salarium usitato minus, sive operariis individuis, sive etiam, ob quamdam conspersionem herorum, iis omnibus qui certae cuidam industriae sunt addicti, neque ita facile aliam assumere locumve mutare possunt.

650. Hic quaedam addere juvabit de obligationibus et juribus architectorum, redemptorum operum et similium qui, sive conventionem

privata, sive post publicam licitationem, opus quoddam determinatum certo pretio peragendum suscipiunt.

1^o Hi injuste agunt si operariis a se conductis justum stipendium non solvunt, quo majora beneficia lucentur vel minore pretio opus oblatum suscipere valeant (1), vel si in exsequendo contractu fraudes adhibent e quibus operae conductor damnum pati possit, puta adhibendo materiam viliolem quam conventum erat, etc. Cfr. Lehm. I. n. 1127 ; Aertnys, I. n. 505.

2^o Si conqueruntur se non potuisse pretio pacto opus perficere, ideoque majorem summam postulant, aequitas saepe suadebit ut aliquid amplius concedatur ; ad strictam vero justitiam quod attinet, videndum quam e causa illud expensarum incrementum proveniat. Ex communi enim consuetudine, quae hic plurimum attendenda est (n. 593), contractus illi ita fieri solent ut operae locator in se pericula ordinaria, non autem prorsus insolita, suscipiat. Hinc, si expensarum augmentum ortum est e casu plane improvise, puta aquarum extraordinaria vi inter fundamenta scatentium, compensatio e stricta justitia debetur ; non debetur vero, si causa est moderatum augmentum in pretium materiae adhibendae vel in opificum salaria inductum. Ubi majores fuere expensae eo quod in iis computandis erravit operis redemptor, probabilius putamus cum Aertnys (l. c.) contra Lehm. (l. c.) non esse compensationem e stricta justitia faciendam. Id enim magis convenit cum natura aleatoria hujus contractus et cum praxi recepta.

CAPUT VIII.

DE SOCIETATE.

651. NOTIONES. Societas definitur : Conventio plurium contri- buendi ad commune lucrum vel usum. (Lugo, disp. 20. n. 1) Hinc duplex potest esse societatis finis : *communis usus*, ut si plures conferant libros quibus singuli uti queant, et *commune lucrum*, ut si plures conferant pecuniam qua negotientur et singulis annis lucrum inter se partiantur.

Codicis nostri Civilis definitio tantum hanc posteriorem speciem, quae sane praecipua est, complectitur. Nam societatem definit : contractum

(1) His injuriis praecavendis sapienter ab aliquo tempore, in Belgio, Germania aliisque regionibus, mos invaluit ut publicorum operum redemptoribus praefigatur clausula solvendi operariis saltem minimum salarium, regionis usu probatum.

quo duo vel plures conveniunt de re quapiam in commune conferenda ut lucrum quod inde oriri possit inter se dividant. (a. 1832)

Res illa quae in commune confertur, consistit in pecunia aliisve bonis vel in industria personali. (a. 1822) Quare, sicut quidam solam sortem seu *capitale*, ita alii solam industriam conferre possunt. Essentiale autem est ut sit communitas in lucro quod e societate oriatur: nam si determinata quaedam et certa summa alicui solvenda statuitur, is jam non habendus est ut socius, sed ut mutuum praestans vel operam locans. Tales sunt ex. gr. administratores cum annuo stipendio a societate conducti.

Hodie in immensum auctus est societatum, praesertim commercialium, numerus: quarum naturam et species explicare potius ad Jus Civile vel Oeconomiam Socialem quam ad Theologiam Moralem pertinet. (1) Hic tantum principia quaedam generalia exhibebimus, quae juvent ad valorem harum dispositionum in foro conscientiae dijudicandum.

652. ASSERTA. I. Finis singularum societatem debet esse licitus, non tantum in conscientia, sed etiam in foro civili (a. 1822), nisi lex civilis positive adversaretur legi naturali vel, quod crebrius continget, legi ecclesiasticae.

Itaque, si finis societatis *illicitus* est, puta pravas ephemerides edere, nemo e contractu quo eam inivit, ad aliquid in futuro faciendum obligatur, quamvis solvere debeat iis qui e contractu jam impleto jus aliquod acquisierunt. Cfr. dicta de contractu turpi n. 582 seqq. Sin autem *injustus* est finis societatis, puta ad merces sophisticatas vendendas, socii damnum illatum reparare tenentur, et plerumque in solidum. (n. 548)

II. In dividendo lucro inter varios socios, servanda est proportio geometrica inter id quod socius apponit ex suo, et lucrum quod participat, ita ut qui plus apponit, vel in capitali, vel in industria, vel in periculo cui se exponit, cum eadem proportionem plus de lucro participet. Hoc enim manifeste postulat hujus contractus aequalitas, nisi mixtus sit aliqua donatione, quae non oriatur e necessitate vel ignorantia, sed ex amicitia et liberalitate unius socii erga alios. (Lugo, disp. 20. n. 10)

III. In dividendis lucris vel ferendis damnis, quae ex societate oriuntur, ante omnia servanda sunt pacta inita, nisi speciali jure positivo

(1) Videri potest C. C. aa. 1832-1873, et praesertim C. Commercialis lib. I. Tit. IX, quo exhibentur dispositiones legum Belgicarum 18 Maii 1873 et 22 Maii 1886. Nam Codicis Civilis statuta non applicantur societatibus commercialibus nisi in iis rebus quae nullatenus contrariae sunt legibus vel usibus commercii. (C. C. a. 1873)

reprobata sint vel manifestam injustitiam contineant. Haec autem non facile asserenda est: nam saepe inaequalitas, ex uno capite apparens, compensatur ex aliis capitibus et circumstantiis individuantiis, quae facile variant et non minus debent in considerationem venire. Ideo fieri potest ut e duobus sociis unus habeat partem in lucro et nullam in damno: nam potest ejus industria et opera tanti aestimari ut compenset abunde has omnes inaequalitates. Illa ergo sola societas semper tamquam injusta reprobanda est in qua ad unum socium totum damnum et nihil lucri pertineat. (Lugo, l. c. n. 13) Ideo unica regula universalis de lucro et damno inter socios dividendis assignari potest: ut ex communi aestimatione et prudentum arbitrio, pro variis adjunctis, res decernatur. (Ball. P. n. 546)

IV. Deficientibus expressis conventionibus, observandae sunt, etiam in foro conscientiae, leges civiles et consuetudines inter negotiatores receptae. Nam singuli, societatem ineundo, contractum secundum has normas intellegere debuerunt, nisi contrarium expresse declaraverint.

V. Similiter tempus quo singuli teneantur in societate inita manere, primario e pacto expresso, secundario e legibus et usibus determinandum est. Ubi ex justitia non apparet stricta obligatio ad manendum in societate, fieri tamen potest ut eadem ex caritate oriatur, nempe si quis, poscendo ut res communis statim dividatur vel aliter se retrahendo, socios gravi damno exponeret, et sine gravi incommodo proprio exspectare posset. (1)

CAPUT IX.

DE MANDATO.

653. NOTIONES. Mandatum est contractus quo unus (mandans) alteri (mandatario) acceptanti dat facultatem aliquid pro mandante et illius nomine gerendi. (C. C. a. 1982)

(1) Veteres AA. multa scripserunt de contractu hodie antiquato, qui *trinus* vocabatur eo quod in se triplicem contractum, nempe societatis, assecurationis sortis et assecurationis lucris continebat. Ex. gr. Petrus Paulo ad negotiandum dat 100 fr. e quibus probabiliter 15 fr. lucris sperare possit per initam societatem. Sed Paulo ut assecuret sortem, 5 fr. et ut lucrum assecuret, 5 fr. alios e lucro probabiliter remittit: unde tandem Petrus percipit 5%, perinde ac si pecuniam mutuum cum hoc faenore dedisset. Hunc contractum antiqui DD., dummodo lucrum sit moderatum, communiter licitum esse existimabant. (Lugo, l. c. n. 40) Hodie, cum universim liceat mutuum cum faenore moderato, jam penitus obsolevit contractus trinus.